

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 12. Urbanus novos Cardinales creat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

*Walsing.
Richard. II.* tamen pepercit Adamo Astono, Londonensi Episcopo, nuncupato Cardinali S. Cæciliæ, qui in gratiam Richardi Angliæ Regis vitæ veniam obtinuit, omnibus tamen suis beneficiis, & dignitatibus exutus, atque depositus. Qua acerbitate etiam sibi maxime devinctorum animos a se alienabat. Quapropter eodem ferme tempore Pileus de Prato seu de *Prata Ravennas Archiepiscopus Castri novi Praefectus*, nec non Galeottus Tarlatus de Petra - mala, dimisso Urbano, Avenionem ad Clemensem defecerunt.

Corneto.

§. XII.

*Cardinales ab Urbano creati.**Niem. c 45.*

Horum, aliorumque in sacro Collegio vacantes Sedes repleturus Urbanus, altero post Epiphaniam die Anno 1385. septendecim Cardinales creavit, omnes ferme Germanos, aut Neapolitanos, utramque nationem, præprimis vero Neapolitanam potenter sibi hoc beneficio obstricturus.

Ast

Ast Germani, quos inter erant tres Electores Archiepiscopi, Adolphus Moguntinus, Fridericus Coloniensis, & Conon Trevirensis, nec non Arnulphus Leodiensis, & Wenceslaus, Wratislaviensis Episcopi, ac Petrus de Roseberg Presbyter ex nobili Bohemorum familia ortus, hanc dignitatem acceptare recusant: quamvis ceteroquin Urbanum colerent, & ipse eis liberam Ecclesiarum administrationem tam in spiritualibus, quam temporalibus reliquisset; Neapolitani quoque, licet sibi hunc honorem deferri gauderent, nihilominus indignationem Caroli metuentes, palam se prodere ausi non sunt; imo ipse Urbanus fors eadem ex causa hanc promotionem antea publicam non reddidit, quam Regno Neapolitano, ubi omnia periculis plena, excessisset.

*Gobelin.**Person. Cos-**mod. et. lib.**6. c. 84.*

Verum haud diuturna fuit Regis Neapolitani persecutio in Urbanum intentata: Præmatura enim illius mors tot mala, quæ ab eo perpessus est Pontifex, ulcisci, ac effræni
hujus

hujus Principis ambitioni metam ponere visa est. Nam Ludovicus Hungariæ Rex ante triennium fatis functus, Mariæ primogenitæ Filiæ suæ regnum reliquerat, ejus tamen administrationem, ac junioris Reginæ tutelam Elisabethæ Matri ejus interim concredidit, donec ipsa sublato ætatis impedimento Sigismundo Caroli IV. Imperatoris Filio desponsaretur. Elisabethæ regimen a principio Hungaris ratum, acceptumque erat, sed paulo post muliebre imperium fastidire, eoquod totam rerum summam in Nicolaum Garam Regni Palatinum transtulisset. Quare Episcopum Zagabriensem clam ad Carolum alegendant, ut Hungaricum diadema eidem offerret; quod ipse lubens acceptavit, & Baruli consensa navi, modica suorum manu primum Dalmatiam tribus triremibus stipatus, inde terrestri itinere Zagabriam, ac demum Budam pervenit.

§. XIII.